

DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.




QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS,
manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis sextâ mensis Martii, anno Domini MDCC. LXXVII.

M. CLAUDIO-CAROLO DEJEAN,
Doctore Medico, Præside.

An diù focis ardentibus assidere, malum?

I.



UBI diffugit æstiva temperies, & densis, humidis, gelidis stipatus brumis Autumnus jàm terris incumbit, aut hyeme sæviente rigent artus, largè super foco ligna reponere cogit necessitas. Quàm verò sunt pertimescendi dolosi penates! morbi latent in focis eo pejores quod invadunt incautos atque securos. Brumalis autumnus, hyems que dura, si fas ità loqui, vi apertâ homines aggrediuntur. Eorum maleficam intemperiem, vestitu densiori, exercitio, aliisque auxiliis audaces effugiunt. Rustica gens duris assueta laboribus, camposque adire coacta, morborum nescit agmen brumalium & hyber-

norum. Milites impavidi, exercitati, focis inſueti, ſæpiùs aerem humidum & frigidum inſpirant intacti. Pueri delicatuli in Academiâ ſtudiorum collecti, frequenter rigentes gelu, ferè omnes ſani vigent & floreſcunt. Tuſſis periculoſa, morborumque genus multiplex, tenellis infantibus damna vix intentant, à quo balneis frigidis immerguntur, & quaſi nudi aeris intemperiei prudenter committuntur.

Verùm ſui mali artifices, morbis teterrimis exponuntur ii quos propè focos ardentes diù detinet vita mollis, aut aeris timor puſillus. Et quis huic-ce non aſſentiet opinioni qui perpenderit ab igne focorum vitiari aerem, cùjus dotes adulterari nequeunt, quin corpus ipſum adulteretur. Ut autem id maneat inconcuſſum, viciſſim examinandum eſt, quinam ſint ignis focorum effectus in aerem, quinam aeris ignem experti in corpus humanum, quænam demùm ab iis exoriantur incommoda.

I I.

AER corpus eſt fluidum, compreſſibile, dilatationis capax, elaſticum, ubique diffuſum. Phyſicos adhuc làtet genuina ejus natura. Norunt autem pro variis corporibus ei immixtis, varias induere qualitates. Ex iis corporibus, quædam neceſſaria ſunt vitæ fovendæ, ut ignis naturalis & aqua, modò in debitâ quantitate aer ea contineat. Eorum exceſſus aut defectus conſtituunt apud medicos varias aeris ſpecies, ſcilicet aerem calidum aut frigidum, humidum aut ſiccum. Pro variâ eorum quantitate, ea principia, elaſtici fluidi denſitatem aut elaterium vario modo immutant. Alia verò ità ejus eſſentiam decomponunt, ut experimentis ſubditus, priſtina non edat phenomena, reſpirationi vitæque prorsùs inſervire nequeat. Hæ ſunt emanationes apud Chemiſtas tam decantatæ, à corporibus fermentantibus, putrefactis, à carbonibus, à calce, ab igne focorum ipſo avolantes.

Porrò denſitas aeris & natura in locis focorum igne calefactis immutantur. A nimiâ quidem dilatatione præcipua phenomena ſunt repetenda, præſertim ſi ligna ſincera, maleficis carbonibus prudenter antepoſita fuerint. Norunt omnes vix phyſices periti, præ aliis naturæ corporibus principium igneum vi dilatante pollere, nullum prætereà magis dilatari capax, fluido aereo. Eò enim corpus dilatatu facilius, quò majori fluiditate & levitate gaudet. Id etiam evincunt Thermometrum Drebelianum, & experientiæ Boerhavianæ, quibus conſtat calore aquæ bullientis, ad tertiam partem ejus voluminis aerem dilatari. Aer autem nimis dilatatus, ſuo defraudatur elaterio; illud enim ſemper ſequitur ejus denſitatem. Prætereà ſuum humidum aeri deficit, dum igne penetratur nimio, & igneis moleculis plus æquo fœtum eſt fluidum elaſticum; demum ignis phlogiſto aer inquinatus corrumpitur & indè ſimul fit calidum, ſiccum, rarum, vitiatum & indè reſpirationi inhabile.

I I I.

A multiplici fonte igitur focis nimiùm indulgentium mala ſcaturiunt. Et primò aer igne rarefactus & ideo levior, ægrè pulmones adit, eorumque veſiculas vix elaſticus diſtendere impar eſt, & indè difficilis reſpiratio. Aere non adjuvante vaſa pulmonum ſanguine non adimplentur, ad eum expellendum, cor iterùm atque iterùm fruſtrà contrahitur, motus intenditur circulatorius, pulſus febricitat, adaugetur perſpiratio, cum eâ vires avolant, & indè anxietates, ſuffocatio, ſyncope. Quin imò aer in humoribus nidulans, cum aere

externo æquilibrandus, nimis dilatatur, undè vasorum major distensio, humorum turgescentia, undè plethora notha, functionumque perturbatus ordo.

Nec satis, pejoribus adhuc morbis, quatenùs siccus & calidus præbet ansam. Pulmonibus siccis humiditatem optatam, sanguini fervescenti frigus amicum denegat. Imò magis siccantur respirationis organa, fervescit sanguis, & quasi comburitur, indè duræ nimis inflammationes pulmonum, cruenta sputa, hæmo phtises, asthmata sicca. Prætereà sanguis inæquali fluctu partes alluens, inflammationes errore loci procreat, tuncque grassantur angina, nephritis, phrenitis, morbi exanthematici. Iis motibus violentis humores agitati acrimoniam induunt pessimam, undè febres ardentes, & biliosæ mox è medio tollentes miseros. Simul circumveniunt à nervis affectis nati, ventriculi dolores acuti, sensus depravatio, quandoque pseudo-cholera-morbus.

Felices nimium, si parco phlogisto aer modò contaminetur! disperso enim eo veneno crudeli, maculæ purpureæ, intestinorum, artuum tremores, vomitus biliosi, sanguinolenti, coma, eos imprudentes plecterent.

Iis morbis, alii non minùs periculosi jungendi sunt. Corpus aere calido semper involutum, fit debile, siccum, aridum, imbecillum. Sua humoribus deficit serositas, sua solidis partibus flexibilitas, sensus & irritabilitas. Torpent functiones universæ. A nervis affectis nascitur affectio hypocondriaca. Demùm miseros urget ignis, dum aëri sese committere audent. Minimo frigore graviter afficiuntur, morborumque iliadi à perspiratione repercussâ, strictioneque fibrarum subitâ ortorum, aliis frequentiùs obnoxii videntur.

I V.

FACTIS autem & experientiâ fulcitur opinio nostra, statque inconcussa. Quis suos lares fervidos assiduus colens, sæpius sanguinem suum turgescentem non observavit? vasa tumefiunt, per totum corporis habitum impeditur anxia circulatio, sanguine rarefacto cerebrum comprimitur, gravatur caput, somnus urget, hebetantur artus, vires deficiunt. Adest ægra respiratio & ut aiunt sublimis, crudi sudores dimanant semper nocivi. Nonne inter divites, & eos quorum foci semper ardescunt, Asthmatici & Hypocondriaci frequentiùs reperiantur? Ipsos Asthmate laborantes, de ignis in eos influxu crudeli, interroga? Dum liberiori gaudent respiratione, vix ignis patientes sunt, instante paroxysmo, calore dirè cruciantur, moxque suffocarentur, si suam in aere frigido salutem non reperirent. Quot phtises ab eo fonte suam duxerunt originem? Quis sæpissimè non fuit expertus, quàm in camerâ focis calefactâ, somno indulgere periculosum esset. Somnus ille nedùm reficiat, corporique dulce levamen & alacritatem restituat, hoc miserum exagitat, vexat, subvertit. Demùm in iis, quos propè focos amor ignis diù detinet, incocta fere remanent ingesta, pravæque digestiones sequuntur. Quomodò res aliter se haberet? *eò magis minuitur naturalis calor, quò magis externus corpori conceditur.* Hæc sunt Hippocratis.

Quid plura? dum captabunt aerem frigidum, fors eos alia miserabunda manet. *Omnis mutatio subita naturæ inimica*, inquit divus senex. Sit ne aer humidus, subitò eos corripit diarrhæa pertinax à perspiratione repercussâ ducens ortum. Debiles infarciuntur pulmones, febribus intermittentibus, catarrhis humoralibus, fluxionibus omnigenis per totum hyemis decursum laborant. Fluore albo mulieres debilitantur. Si frigus sæviat, coryza, raucedo, angina, asthmata, peripneumonia notha circumveniunt. Sunt etiam exempla quædam hominum

ſubitâ morte percullorum, dum à foco ardente, in gelidum aerem tranſierunt. Tunc quoque, à ſero revulſo muſculi diris rheumaticis doloribus non rarò cruciantur. Extremitates ipſas urgent ſciſſuræ, inflammationes, ulcera. Iis paſſionibus obnoxii vivunt magnates, mulierculæ, dùm eas ferè neſciunt omnes exercitatiſſimi, & ii quos à focis ardentibus, voluptas aut negotia ſedulò arcent.

V.

JAM verò increpant omnes, quos otium aut munera quædam focis alligant. A focorum igne nihil pertimeſcendum. Aeri rarefacto, in auras pro ſuâ levitate avolanti, novus ſuccedit denſus, elaſticus, pulmonum amicus. Phyſicorum theoriæ ne nimiùm crede. Certè quidem foci, aliquid habent commodi. Quis verò ignem reflecti inficias ibit, dùm totius cameræ aer igne focorum incaleſcit, dùm variis odoribus combuſtis idem inquinâtur, ità ut eorum naturam olfactus eximiè dijudicet. Verùm inquies quomodò aeris humidi aut hyemis ſævitiem effugere? ὑγιεινῆς lex ſumma, nequid nimis. Modus eſt in rebus, foci moderati, etiamſi vices exercitii ad ſanitatem tuendam non omninò adimpleant, admodùm conducere valent. Sanguinem ad interna frigore coactum, ad externa reducunt, ſicque arcent ſtaſes, inflammationes, & gangrænam. Dùm etiam humido aere undiquè perſpirationis viæ obcluduntur, ægre ſuas partes agunt pulmones, corpuſque ſtat plenum & oppreſſum, calor focorum lenis aerem ſiccando, tonumque fibris conciliando, ſanitatem jam titubantem ſuſtinet & corroborat. Ii verò felices effectus igni debentur juxta leges hygiaſticas inſtructo. Talis eſt qui temperatam ad ſenſum reddit athmoſphæram. Sed tamen eo igne malè afficeretur, qui nimis aſſiduus ei aſſideret. Tunc enim ab exercitii defectu nata eum aggrederentur incommoda. Quæ cum ita ſint, & ab igne focorum ardenti vitiari aerem, & ab illo aere vitiato, ſicut ab igne ipſo multas machinæ humanæ noxas exoriri comprobetur, nihil moras nectere valet quin concludamus:

Ergò diù focis ardentibus aſſidere, malum.

Proponebat Pariſiis EDMUNDUS-JOACHIM BOURDOIS DE LA MOTTE, Joviniaco-Senonenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Auctor, A. R. S. H. 1777, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1777.